

Heinrich Rudolph Redecker Samuel Birth

## **Discursus De Praecognitis Iuris,**

Rostochii: Kilius, 1652

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732597013>**

Druck Freier  Zugang



Vorwissen des Rechts

H. R. Redeknecht (J. Pirth) pa

R. U. nr. 1652.



DISCURSUS  
DE  
PRÆCOGNITIS  
JURIS,

*Quem*  
BONO DEO

*Permissio*

Nobilissimæ ac Amplissimæ Facul-  
tatis Juridicæ

PRÆSIDE

HEINRICO RUDOLPHO *Xedeker*  
Westph.

*Eruditorum diuisione submitte*

SAMUEL *Birth* Borussus,

*13. d. Novemb. horis autem.*



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
Anno M. DC. LII.

1652

PRÆCOGNITIS

SONO DEO





## BONO DEO DE PRÆCOGNITIS JURIS.

THES. I.

**J**uris disciplinam non à Prætoris Edicto, neq; à LL. 12. tab. sed penitus ex ipsâ Philosophiâ hauriendam esse, docet *Cicero lib. 1. de leg.* Dum enim Legum rationem summam in naturâ esse insitam, dicit, Jurisprudentiam ab animâ rationali repetendam esse suadet, nam illi qui aliter, spretâ nempe ratione, Jus civile tradunt, non tam Justitiâ, quam litigandi vias ostendunt, inde *Zabarella in lib. de const. natur. scient. cap. 33.* nec medicum esse posse nisi sit naturalis Philosophus, nec bonum legislatorem nisi calleat Moralem Philosophiam, disputat, & recte; Quia illa est quasi basis & fundamentum Jurisprudentiâ, quibus ignoratis, non potest illud quod à fundamine & principijs dependet bene cognosci, quia principium ad ea quæ inde deducuntur maximum momentum affert *Arist. l. 1. Eth. ad Nicom. cap. 7. in fin.* imo potissima cujusq; rei pars est, *l. 1. ff. de O. J.* Omnis igitur disciplinæ progressus à generalibus præceptis rectè deducitur, quæ sunt fundamenta ad omnium specierum ac individuorum cognitionem, adeo necessaria, ut nec ignorari nec in dubium vocari debeant arg. *§. 2. J. de J. & J. Matth. Gribal. Moph. de Method. Stud. l. 1. c. 3* & quod principia Jurisprudentiâ fundentur in Præceptis Ethicis, apud omnes, qui ductum rectæ rationis sequuntur, in confesso est, ideo nec ullum Jurisprudentiam nisi positis his fundamentis auspicari posse puto. Et hac consideratione cum justitiâ virtutem virtutum præstantissimam, quæ Hespero & Lucifero admirabilior, *Arist. lib. 5. Eth. cap. 1. Nov. 69.* pro ingenij tenore in publicum Deo Duce producere mihi animus est, ideo ex ipso Philosophiâ practicæ fonte, qui fætum ejus & præcepta continet, eam ipsam deducendâ putavi, quippe ex quo prisca lecti varia jura interpretanda mutuati sunt, notante *Guidon. Panciroll. lib.*

roll. lib. 1. Thesau. vari. lect. c. 80. unde etiam Ulpianus l. 1. ff. de J. & J. se veram (quam *Quiac.* illam vocat, quæ utilitati hominum inservit) & non simulatam illam Philosophiam (qualem Cynici professi sunt, de quibus *Cic. lib. 1. de off. & l. 1. §. 4. ff. de extrard. cogn. l. 8. C. de Prof. & Med.*) affectare dicit, sine hac enim nemo leges ex mente Legislatoris interpretari valet, si enim de bonitate & æquitate legis quærat, ad hoscæ fontes recurrendum est, unde LL. ratio fluit, quod enim in Thesi proponit Ethica, illud in hypothesi Jurisprudencia *Trentl. Vol. 1. Disp. 1. Thes. 2. lit. A.*

## II.

Cum autem secundum Philosophum omnis scientia suas habet præcognitiones, nempe *quid est, & quia est, Arist. 2. Analit. c. 2.* primum constare debet? an detur aliquod Jus de quo quæstio instituenda sit, & cujus finis inquirendus? De hoc in veterum Philosophorum Scholis jam dudum controversum est, quibus jure merito responsio *Celsi* opponi posset, quæ est in *l. 27. ff. qui test. fac. poss.* Attamen præstantissimi multi in negativam abiere sententiam; Dum *Heraclitus* nullam Juris vel alius disciplinæ scientiam esse statuit; *Empedocles* omnia esse abstrusa, & *Socrates* nil sciri dixit, unde etiam Academicorum secta originem duxit, ex qua *Clitomachus, Aristo, Chius &c.* palam docuerunt Jus nullum certum esse, sed ex solâ hominum vagâ opinione dependere & cum eadem nasci & interire; Eandem sententiam Divinus ut vocatur *Plato* amplectitur *lib. 1. de Repub.* dum nihil lege sanciri posse, sed ipsam fortunam, variosq; ejusdem eventus Jura condere figere ac refigere asserit; Et hominum omnium iniquissimus Juris perversor *Thrasimachus* illud æquum esse dixit quod superiori videretur utile, quo apud *Salustium Memmii in Bell. Jugurth. p. m. 74.* Impuhe quælibet facere est Regem esse, ad quod etiam collimat responsum Consiliariorum Regis Egypti *Ptolomæi* volentis sororem suam in uxorem ducere. Se non scire Regi esse legem positam: Et *Julia Novercæ Caracallæ* bestialis vox; Imperatoris esse LL. dare non accipere: Idcirco *Phocas* Imperator Romanus, tam in conservandis LL. ignavus, quâ repellendis hostium insultibus vecors, omnes ICtorum bibliothecas comburi jussit, quem multi alij, ut politicorum scripta testantur, secuti sunt, Quorum quidam omnes ICtos aulâ expulerunt; & hanc eandem disciplinam *Machiavellus Florentinus* Vir ingenij perspicacis ac honesti perversissimus æstimator, suo instillavit Principi quem eleganter satis *Casparus Barlejus* in suis orationibus reprehendit.

Et

Et quamvis falsissimæ huic sententiæ subscribentes primo intuitu speciosa admodum & plausibilia videantur habere argumenta, attamen illa non sunt tanti ponderis, ut essentiam ipsius Juris vincere aut plane rollere possint, quod probari potest, 1. à priori si ostendatur rei alicujus convenientia, aut disconvenientia necessaria cum natura rationali, aut sociali, tales autem causas habemus nempe Politicas ac morales, unde etiam necesse est ut inde effectus eruantur, *Corasius de arte Juris cap. 8.*  
 2. Probari potest à posteriori, effectu nempe, resolvendo eum in suas causas, unde si non certissimâ fide, certè probabiliter demonstrari potest id Jus esse quod à sanioribus tale esse creditur, ac observatur, *H. Grot. de Jur. Paci & Bell. l. 1. c. 1. n. 12.* oportet autem naturam non in corruptis spectari, sed in his qui se magis habent secundum naturam, nam quod à melioribus perficitur melius est opus *1. Pol. 5.* quia videmus actus hominum esse justos ac injustos, Ergo necesse est, dari etiam causam, quæ tales effectus producat; Et præterea si rem penitus inspexerimus ipsa juris scientia cordibus nostris inscripta est, quare etiam quavis demonstratione certior est, unde *Cic. l. 3. de leg.* unus est, inquit, communis quasi Magister & Imperator omnium Deus, ille est legis hujus juvenator, disceptator, ita enim illa lex hominû stringit conscientiam, ut etiam delinquentibus intrinsecus pœnam irroget; cujus infallibilem habemus veritatis testem ipsum Apostolum *Rom. 2. v. 14.* cum gentes quæ legem non habent suapte naturâ faciunt quæ legis sunt, istæ Legem non habentes sibi sunt lex & c. vid. hic *Wesemb. ff. de J. & J. n. 15.* Et quavis natura novas depereret edere formas *2. f. 24. §. prædictus* & humani Juris conditio semper in infinitum decurrat nihilq; in eâ quod in perpetuum constare possit inveniatur, *Confirm. ff. Tanta circa nos §. 18.* attamen hujus Juris existentia semper certa & immutabilis permanet, neq; LL. mutationes, neque diversarum gentium mores ei aliquid derogant, nam Jus istud per se certum est, licet diversis ita applicatum casibus diversas pariat decisiones *l. 6. ff. b. t.* quod tamen ita moderatur, ut nunquam non directum esse maneat ad rectam rationem *Lindem. in hist. Rom. th. 15.* Omnes insuper Leges ut docet *Cic. ad commodum Reipubl. trahendæ sunt,* & hoc à Politicis Ratio Status dicitur, vid. *Hippolit. à lapide Sect. 2.* Et ideo potest natura humana hujus quoq; Juris quasi proavia dici *Grot. de Jure Paci. & Bell. in proleg.* Et licet in statu Monarchico solus Princeps Le-

ges faciat, tamen non tam opinione superioris, quam ipsa ratione inniti  
lex debet, commiseratione enim & non indignatione digni sunt qui  
*l. Non omnium ff. de LL. de inscitia rationum intelligunt, si enim lex hac  
destituatur, Tyrannica potius dicenda est constitutio, quam ut legis aut  
Juris nomen mereatur quia jus ex recta ratione promanare, atq; cum  
eadem semper convenire debet, l. 39. de LL. simul bonum ac æquum  
continere l. 1. pr. d. J. & J. Idcirco absurdum est dicere Jura pro volun-  
tate Principis tolli ac poni, præsertim cum illud quod rectæ rationi con-  
venit, in artem reduci posse non dubitarit Cic lib. 1. de Orat. de quo etiam  
varij Icti in nostro ac precedenti seculo fuere solliciti, Et illud quidem  
certum est, quod illa quæ ex constituto veniant & sæpe mutantur & alibi  
aliter observentur artis formam non assumant, quia merè sunt civilia,  
â quibus tamen illa quæ naturalia sunt recte separantur Grot. d. 1.*

IV.

Cum autem certum sit jus aliquod esse, cum alias frustra suscipere-  
tur disputatio, prius necesse est ut de fine ejus agamus, quia practicarum  
disciplinarum omnium ( quale & jus nostrum est ) tractatio â fine fieri  
debet *Rittershus. ad pr. J. h. 1. Franiz. Exercit. 1. th. 1. Ludvvel. disp. 1. th. 4.  
L. A. Zabar. lib. 1. de meth. cap. 9.* Finis autem Juris nostri specialiter ita,  
dicti, est vel cujus vel cui. Cujus est Respublica vel Societas civilis, Cui  
est vel externus, vel internus, Externus est salus Reipublicæ & utilitas  
hominum. Internus est justa LL. administratio seu ipsa **Justitia**, ad  
quam omnes nostri conatus, omnium LL. jussa, ac omnes studiorum  
rationes dirigi debent, arg. *Nov. 69. in Præfat. Harprecht ad pr. J. de J. &  
J. Coras. de art. Jur. cap. 21.* Sumitur vocabulum Justitiæ 1. generaliter  
ut & animalibus tribuitur. 2. Strictè & intelligitur ea quæ in commu-  
ni hominum societate cernitur, & definitur *lib. 5. Eth. cap. 1.* quod sit *ha-  
bitus animi quo homines idonei sunt ad agendum ea quæ Justa sunt, eademq;  
agunt & volunt.* dicitur *habitus* quia tractatio hic late sumitur, ut non  
tantum particularem sed & universalem justitiam comprehendat, &  
ideo per virtutem describi nequit, quia ipsa universalis justitia tota vir-  
tus est, dicitur *per quem homines justa agunt*, nam non satis è præditum  
esse agendi facultate, sed requiritur insuper ut perpetuo & constanter  
cum proposito laudabiles actiones producantur *Aristot. l. 5. Eth. c. 1,  
pr. juncto l. 2. Eth. c. 4.*

Justus

Justus autem quia duobus modis ita dicitur 1. generaliter, quatenus  
 nempe quis rectæ rationi obtemperat & omni illi quod rectis legibus,  
 moribus ac omnibus virtutibus congruere videtur conveniens vivit.  
 2. Specialiter quatenus de bonis externis suum cuiq; tribuit; Inde & du-  
 plex oritur justitia, *Universalis & Particularis*, ubi tamen notandum quod  
 hæc specie non differant, neq; univocam aut realem Justitiæ divisionem  
 contineant, quia membra dividenda ita inter se affecta esse debent ut  
 neutrum in altro includatur, *Stalinus in Reg. Philos. tit. 13. reg. 3.* sed ratio-  
 ne tantum sive formaliter, quia is qui Justus est Justitiâ universali, non  
 tantum Justus est Justitiâ particulari, & qui Justus est Justitiâ particulari,  
 non statim Justus est Justitiâ universali, Ideo tantum dividuntur for-  
 maliter & materialiter conveniunt, *Harpr. ad pr. 3. h. t. num. 15. 16.*  
**Hornei.** *diff. Eth. 5. cap. 11. §. 6.* Justitia universalis est obedientia  
 erga omnes LL. ut in civili societate tanquam boni cives virtuti con-  
 gruerter vivamus, *Magirus in comm. Eth. Arist. lib. 5. cap. 1. & hæc ab*  
*Aristotele dicitur legalis, ideo quia non tam versatur circa distributione*  
*& commutationem bonorum externorum, sed maxime quia omnium*  
*virtutum actiones respicit ac moderatur, quippe quæ omnes virtutes*  
*suo ambitu complectitur, unde Cic. l. 1. de off. nihil liberale esse dicitur*  
*quod non idem sit Justum, & ideo non dicitur pars aliqua virtutis, sed*  
*coacervatio omnium virtutum, imo ratione essentia & subjecti ipsa.*  
 virtus **Thomas secund. secunda quæst. 58. arti. 5. Suth. Exerci 1. th. 23.**  
 quare etiam rectè dicitur propter suam eminentiam *perfectissima virtus.*  
 Differt tamen à virtute, quod nempe virtus in se spectata referatur ad  
 possessorem, quem reddit virum bonum & ita in solo habitu spectatur,  
 Justitia autem universalis refertur ad alium, erga quem exercetur, & ita  
 toti reipub. prodest, *Frantz. in comm. ssum. h. t. n. 20. 21. 12. Hornei. lib.*  
*3. Eth. cap. 11. n. 3. Magir. ad cap. 1. l. 5. Eth. in fin.* Docet etenim Justitia  
 hæc non tantum quo pacto unusquisq; erga seipsum rectè debeat esse  
 affectus, sed etiam quomodo possessor possit alijs prodesse, qui ideo  
 etiam dicitur perfectè *vir bonus*; per hanc enim homo ad omnes reipub.  
 partes tanquam bonus civis & politicus aptatur, *Wesemb. in parat.*  
*h. t. num. 4.* Ideo ad conservandam & administrandam civilem societatem  
 maximè hæc justitia accommodata est, *Aristoteles lib. 3. pol. cap. 8.*  
 quia

quia humanam societatem continet, quippe sine qua nec civitas esse potest, nec domus recte gubernari *Franc. Patric. de Inst. Reip. l. 2. t. 7.*

VI.

Hujus etiam Justitiæ beneficio, æquum ab iniquo separatur, licitum ab illicito discernitur, boni, non solum metu pœnarum verum etiam præmiorum exhortatione efficiuntur *l. 1. §. 1. ff. b. t.* imo omnis reipublicæ administratio, si cum rectâ ratione suscipiatur, hanc metam unice intueri debet, ut ad eam tanquam cynosuram omnes actiones conformes reddat, & ideo hanc ipsam Justitiam universalem principalem Jurisprudentiæ finem esse non dubito, quippe quæ secundum unamquamque virtutem vivere præcipit, & unumquodque vitium prohibet. Unde Legislatoris munus non tantum in hoc versatur, quomodo in commercijs commutandis & præmijs distribuendis æqualitas observetur, sed etiam hunc finem in ferendis legibus sibi proponere debet, ut bonos beatosque cives efficiat, *Laurent. Grimal. de optimo senatore l. 2.* quales bonum commune ac reipub. postulat, *Sutholt. dissert. Inst. 1. th. 24.* quia vitia ita visceribus hominum insita & immersa sunt, ut nisi Legibus hominum pravi affectus coerceantur, regna nihil aliud sint quam fera latrocinia, Ideo cum Philosopho Morali, illos mores quantum fieri potest, dirigere debet, hoc tamen superaddito ut refractarios & LL. transgressores pœnarum metu cogat & morigeros præmijs exornet. Leges enim à virtute prodire debent, quæ nihil aliud quærunt quam considerationem virtutis, in cujus usu positum est summum bonum Politicum, *Riccolom. in Philos. moral. gradu 10. cap. 18.* Nam societatis politicæ felicitas sine honestis moribus & legibus, constans permanere nequit, ideo *Arist. lib. 2. cap. 5. Eth.* dicit, quod leges ex unâ quaque virtute vivere jubeant, & unumquodque vitium prohibeant, Quare etiam valde Lacedæmonicorum rempubli. in suis libris politicis reprehendit, ideo quod eorum leges non fuerint conformatae ad omnes virtutes, *Suth. d. d. th. 25.* quemadmodum enim boni medici non est, unius tantum partis corporis sanitatem conservare, ita nec boni Legislatoris unam Virtutem in rempub. introducere sed *universam*, ita ut possit efficere & conservare, civili societati felicitatem. *Plato l. 1. de leg.*

VII.

Et hunc eundem finem Juris nostri leges intendunt, ideo quia omnes Leges, quæ in jure nostro traduntur, ad particularem Justitiam referre

ferre impossibile est, utpote quæ non saltim alteri suum adjudicant, ita ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione *l. 31. ff. de pos.* Sed etiam illud quod honestum est & boni mores exigunt sufficienter præcipiunt. *l. 144. juncta lege 197. de R. J. l. 42. de Rit. Nupt. Nov. 69. in præfat.* Et ideo non tantum ut in commutandis rebus justa servetur proportio, sed etiam quantum incorrigibiles hominum mores admittunt ut omnium virtutum præditos cives efficiant, nam multi contra leges civiles peccant & etiam illarum vigore puniuntur, qui non tantum proximo suum auferunt, sed ideo quod vitæ justitiæ universali non conformem reddant; Sic intemperans qui sese indies ingurgitat, alteri suum non aufert, interim tamen tanquam transgressor legum puniri potest; Ita qui adulterium committit non adversus particularem justitiam peccat, quippe cum nemini jus debitum detrahit, sed universalem, ideo quia fines temperantiæ egreditur *Arist. l. 3. Eth. cap. 10.* & tamen de Jure civili punitur *t. t. ff. & C. ad leg. Jul. de adult.* Ita multæ materiæ Justitiæ universali contrariæ jure civili prohibentur; uti avaritia prohibetur *t. t. C. de pluspet.* Fortitudo præcipitur *l. 6. §. 3. 8. 9. ff. de remilit.* Temperantia *l. ult. de aliment. leg. Modestia l. 1. §. 5. de post.* Veracitas *L. 6. §. 1. de off. præsid. t. t. de injur. & fam. lib.* Liberalitas *l. 7. ff. de serv. export.* Magnanimitas *l. 31. de O. J.* Urbanitas *l. 3. de serv. corrupt. & c. Ungepaur. Exercit. 1. quest. 10. Ludrve. Exercit. 1. th. 4. lit. F.* quibus optime consentit *Frank. in comment. ff. h. t. num. 36. & seqq.*

VIII.

Et præterea tria Juris præcepta: Honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuiq; tribuere *l. 10. h. t. §. 3. J. eod.* sunt firma fundamenta quibus jus nostrum innititur & quibus tota philosophia civilis clauditur, *Coras. de art. Jur. cap. 25.* quæ tamen satis evincunt omnes Leges & omnia Jura ad particularem justitiam referri non posse, Nam ad i. quod attinet, illud non tantum proximo suum tribuere præcipit, sed insuper ita virum bonum perficit, ut omni omnino virtuti quoad maxime poterit, morem gerat, & congruenter vivat, nam sæpius in jure nostro etiam honestatis ratio habetur, & in genere ea quæ turpiter fiunt prohibentur, Inde rectè *Papini. l. 15. de cond. Inst.* illa facta quæ lædunt pietatem, æstimationem, verecundiam & generaliter, quæ contra bonos mores fiunt, ea nos nec facere posse credendum est. Nam non tam quod nobis fortean summo Jure licet, quam illud quod usu & moribus paternis

B

hone-

honestum est, facere cogimur, cujus exempla extant §. 9. *J. de nupt. l. 2. C. de sec. nupt.* Nec huic regulæ quicquam derogat, quod concubinatus Jure Civili sit permissus *l. 3. & t. t. ff. & C. de Concub.* Nam LL. nostræ illum actû tanquã turpem non approbarunt quidẽ, sed duntaxat sub quãdam dissimulatione permiserunt, majoris mali evitandi causa, puta adulterij, incestus &c. & ideo respectu majoris mali honestus esse censetur, arg. *C. hac ratione caus. 31. quest. 1. Harprecht. §. 3. J. h. t. n. 7. Matth. Steph. de arte Jur. cap. 3.* Itaq; & hac ratione ex duobus malis minimum est eligendum, cum utrumq; evitare non liceat, *Stal. in reg. Phil. tit. 19. cap. 7. Aristot. lib. 5. Eth. cap. 3.* & ibi *Magirus.* Unde Politici sæpe propter publicam utilitatem Justitiam deferendam putant, nam malas hominum voluntates ad plenum prohibere impossibile est. *Clapmar. de arcan. rerumpub. lib. 4. c. 11.*

### IX.

Justitiam universalem cum ita obiter explicarim; ordinis ratio particularis etiam justitiæ explicationem desiderat, dari autem talem de reliquis omnibus virtutibus diversam, & ab universali justitia tanquam pars a suo toto distinctam, illud probat *Aristoteles lib. 5. Eth. cap. 2.* à contrario, ex actibus nempe injustis & quidem inductione & comparatione reliquorum vitiorum, nam si quis plus justo ex aliquo negotio lucretur, ille contra omnes virtutes Eth. quæ *lib. 2. cap. 2.* recensentur, non peccat, & inde rectè colligit, peculiare hoc vitium esse à reliquis omnibus diversum, & quod ad nullum aliud referri possit, diciturque *δικαιοσύνη*, cui justitia peculiariter ita dicta opponitur, & ita specialem virtutem sibi constituit, & à justitia universali cujus oppositum est *δικαιοσύνη* tanquam pars differt, nam is qui plura quam decet sibi attribuit, peccat quidem in justitiam universalem sed non absolute ita dictam, sed secundum quid; ideo quia non peccat in omnes virtutes, verum tantum in Justitiam particularem, & hujus quidem justitiæ naturam Aristoteles diligenter satis exposuit, certam tamen & accuratam definitionem juris nullibi explicite & complete tradidit, quare & factum est ut omnes fere Philosophi illam definitionem constanter retineant, quæ est *Ulpiani l. 10. h. t.* quod nempe sit *constans & perpetua voluntas Jus suum cuiq; tribuendũ.* *Horn. in phil. moral. l. 3. cap. 7. n. 14. Christ. Mat. l. 3. Eth. Ex. 9. th. 6.* Quæ definitio quamvis propter diuturnum usum videretur esse satis bona *arg. . c. 26. Ex. de V. S.* attamen penitus inspecta

rem

rem quidem ICorum more satis describit, non tamen exactam subtilitatem dialecticam continet, quod observavit *Grosius ad jus Justinianicum h. t.* Inquire Juridico more eam defendam.

X.

Dicitur **voluntas** pro habitu volendi, nempe per Metonomiam subjecti pro adjuncto, *Treut. Vol. 1. Disp. 1. Thef. 1.* & sic intelligitur hic habitus, per quem voluntas, ut, potentia animæ rationalis perficitur, unde etiam cum optimis quibusq; Philosophis voluntatem virtutum moralium subjectum constituimus, & illud sequentibus rationibus, quia 1. primum subjectum libertatis est voluntas, quippe quæ sola formaliter libera est, & in modo agendi indeterminatè se habet ad opposita, ut vel rectè vel non rectè agere possit, ergo etiam erit subjectum illorum habituum ob quos laudamur aut culpamur, nam laudari & vituperari respectum ad libertatem includit, & 2. quia virtus moralis est proprium quoddam hominis, per quam à reliquis brutis animantibus secernitur, ergo etiam necessario in illà animi facultate residet, quæ est hominis propria, nempe in voluntate, quæ est facultas animæ rationalis, quæ homo vel quid appetit vel averfatur *Hornei. lib. 3. Eth. cap. 6. Prætor. in theat. Eth. sect. 2.* jam vero justitiam esse Virtutem nullus dubitat, & eo magis in voluntate subjectatur quia maxime circa bona alterius versatur, & eatenus appetitum sensitivum, quia tantum circa bonum proprium est occupatus, hic excludimus, *Thom. 2. secundæ quest. 58. Art. 4. Erantz. in Comm. h. t. num. 6.* adeoq; justitia est habitus perpetuo justæ faciendi, nam hoc perpetuum esse debet, quia is qui justa facit vi compulsus, aut metu pænæ, aut fortuito, habitualiter justus non est, quia non sponte, aut voluntario, sed planè invitus agit, neq; ita animo comparatus intelligitur, ut perpetuo jus suum cuiq; tribuere velit, *Cujac. in not. ad Inst. h. t.* non enim qui justa, sed qui justè agit, justus est *Arist. lib. 2. Eth. cap. 4.* & ibi *Magir.*

XI.

**CONSTANS ET PERPETUA;** nam is qui virtute præditus est, non potest non virtuosè agere, propter habitum acquisitum, de quo nobis sermo est, nam semel aut iterum velle quod justum est, etiam injustissimo homini competere potest, uti modo monstravimus, justus autem nemo dicendus est, nisi qui ex certo aliquo proposito semper & ubiq; justè agit, *Arist. d. 1.* itaq; vel omnino nullum, vel etiam ad-

modum exile putamus esse discrimen inter constans & perpetuum, cum  
*Herneio l. 3. Eth. cap. u. n. 15.* nam tum demum actio moralis ex habitu  
proficiscitur, si quis agat sciens, ex proæresi & perpetuo, unde etiam  
*Gell. l. 17. noct. att. c. 5.* liberalitatem vocat perpetuæ benignitatis con-  
stantiam; Nec quicquã refragatur, quod talis habitus in nullum cadat ho-  
minem, quippe in quo nihil stabile aut immobile est *Nov. 7. c. 2.* Quia  
illa quæ à calore quodam, aut impetu animi, aut inconsultè aguntur,  
nec in virtute nec in vitijs ponuntur, *arg. l. 48. d. R. J.* nam si quis  
vel per errorem, vel per ignorantiam erraverit, aut propter incertitudi-  
nem rei deceptus sit, ob id tamen voluntatem & habitum justè ac bene  
agendi non amittit, sed ad se rediens peccatum rectâ ratione emendat  
*Ungep. Ex. 1. quæst. 11. 2.* Justitia hic, ut omnes aliæ virtutes, in maxima  
sua perfectione definitur, non quatenus in concreto in hunc vel illum  
hominem cadit, sed quatenus cadere potest, ac merito debet, ideo in  
abstracto & ratione essentiæ suæ consideratur; licet enim nullus homo  
esset virtuosus & per consequentiam justus, non tamen ideo ipsius justiti-  
æ definitio tolleretur, quæ semper manet constans & immutabilis, &  
ad quam tanquam ad scopum & communem ideam, unusquisq; maxi-  
mo studio contendere debet, *Rittersb. pr. J. h. t. Coras. de arte Juris c. 22.*  
*Pacius cent. 1. quæst. 4.* & hac ratione non est necesse cum *Accursio. pr. h. 1.*  
*& d. Ungep. Exercit. 1. quæst. 8.* hic intelligere justitiam Divinam, nam si  
intentionem Justiniani interpretari rectè voluerimus, illi propositum  
fuit talem definire justitiam quæ maximâ ex parte jurisprudentiæ finis  
est, talis autem non est justitia Divina, quippe quam beneficio legum asse-  
qui non possumus; Neq; prædicatû hujus definiti, nempe **suum cuiq;**  
**tribuere** rite applicari potest justitiæ Divinæ, quia Deus nihil nobis  
debet ad quod tribuendum nobis sit obligatus, Ergo utiq; ad humanos  
actus illa referenda est, & eo magis quia primus author hujus definitio-  
nis nempe Ulpianus, fuit Ethnicus, qui omnino justitiam Divinam igno-  
ravit, *Hunn. ad Treut. disp. 1. th. 1. quæst. 5. & lib. 1. variar. resolut. tr. 1.*  
*Quæst. 2. Frantz. Exerci. Inst. 1. Quæst. 1. num. 1. 2.* Nec insuper cum *Hen-  
rico Salmuth in Prolemio comment. ad Panciroll. pag. 9.* hic justitiam Deam  
quæ semper à Romanis culta fuit definiri putamus, nam quod *IC. in.*  
*l. 1. §. 1. h. 1.* sacerdotes justitiæ vocentur, illud sit propter similitudinem  
officij, quam cum sacerdotibus gentilium habent communem, dum  
nempe ita præsunt Jurisprudentiæ ut jus reddant litigantibus, fontes suppli-

supplicijs; & bene meritos præmijs afficiant, Et 2. ut obscuriores LL. nodos enodent, & ita effata incognita interpretentur, *Joach. Hopper. in tr. de art. Jur. tit. de Juris definitione, Harp. ad pr. h. t. n. 46. vel etiam quod olim coluerint Astræam Vacon. a Vraun. l. i. c. 31.*

XII.

Tandem dicitur, **Jus suum cuiq; tribuendi;** unde specifica hujus virtutis differentia promanat, quæ eam à reliquis omnibus virtutibus dividit, & hanc specialem constituit justitiam, cujus proprium munus ac officium est, ut suum cuiq; tribuat, ita ut non distrahatur ab ullius hominis justiore petitione, & hæc ratio est quare Aristoteles hanc virtutem reliquis omnibus anteferat, quia magis ad alterius quam ad propria commoda refertur, dum nempe ita utilitati proximi inservit, ut singulis in dividuis debitum conveniens adjudicet, neq; cujusquam bonis injuriam ullam inferat, *Wesemb. in parat. h. t. n. 10.* debitum autem quod ad civem pertinet, & itaq; hujus opem indiget, duplex est, 1. proprium & absolute tale, 2. commune & secundum quid tale; Per illud intelligit res quæ in singulorum patrimonio ac Domino sunt, quæq; sine facto ad alios transire nequeunt, & quarum quis liberam habet administrationem *l. ii. de R. J. l. 21. c. mandat. de quib. agitur §. singulorum J. de R. D. & TT. ff. de A. R. D.* per hoc intelliguntur illæ res quæ per se totius sunt universitatis & ideo communes *l. 9. de usu cap. §. 6. J. de R. D.* & ideo quia civis pars reipub. est, recte etiam has res in quasi possessione videtur habere, nam quæ sunt totius, quodammodo etiam videntur esse partium, unde quoq; fere pro privatis habentur, *l. 15. cum l. seq. de A. R. D. Frantz. in d. comm. h. t. n. 24.* huc etiam pertinere videntur capta in bello nempe mobilia, quæ absolute ut quidam opinantur non sunt capientium, sed Dux belli ideo unicuiq; suum assignare debet *c. just. militare dist. 1. c. dicat aliquis c. 23. quest. 5.* & ibi *Gloss. Duaren. in l. 1. §. 1. de Aq. possession.* sed de hisce omnino videatur *Grotius l. 3. de Jur. pac. & bel. cap. 6. n. 8. & seqq.* Ex hac rei consideratione duplex etiam profluit hujus justitiæ particularis pars, nempe commutativa & distributiva, quam veram justitiæ divisionem probat *Arist. l. 5. c. 3. in fin. jun. c. 4. pr. & c. 7. Grot. d. tr. l. 1. c. 1. n. 8. Thom. 2. secundæ quest. 61. art. 1.* Quare etiam ibidem *Cajetanus* omnia in paucula comprehendit dicens: Legalis justitia dirigit partem ad totum, distributiva totum ad partes, commutativa partes inter se: Hic tamen non intelligimus duas virtutum diversas species, sed propter instabilem

Stabilem materiarum diversitatem, puto duas ejus esse partes, quæ ad unam speciem specialissimam nempe particularem justitiam referuntur, Thom. 2. secundæ quæst. 61. art. 3. & ibi Cajetan. Horn. d. l. c. 13.

XIII.

**Justitia Distributiva** dicitur à distribuendo, ideo nempe quia præmia & onera communia inter eos distribuit qui sunt membra cujusdam communitatis & ideo in hac specie proceditur secundum proportionem Personarum quia res omnes quæ sunt in repub. aliquâ, sive bonæ sive malæ communes, eatenus ad omnes cives pertinent, quatenus membra faciunt in repub. Cum autem impossibile est omnes omnino cives esse similes. l. 5. Eth. c. 8. idcirco etiam pro diversa civium consideratione quatenus alius alio & major & dignior est, etiam majorem partem in distributione & boni & mali consequitur; nam omnes idem onus sustinere nequeunt propter imbecillitatem facultatum, ergo nec eodem præmio frui possunt, propter meriti disparitatem, quare etiam proportio rerum quæ servat æqualitatem rei ad rem hic intelligi nequit, sed proportio Personarum, quæ non rem cum re comparat, sed æqualitatem rerum ad personas observat; Thom. 2. secundæ quæst. 61. art. 2. Hornei. lib. 3. Eth. cap. 12 n. 5. **Communitativa** est quæ in contractibus secundum proportionem rerum, dirigendis versatur, ut nempe res æquipolleat cum re permutatâ, Aristot. l. 5. Eth. c. 2. & ideo ratione objecti & proportionalitatis differunt, illa enim versatur circa res ejusdem civitatis communes respectu personarum distribuendas, hæc circa illas quæ privato nomine alicui competunt, permutandas; quas Aristoteles uno nomine *συνναλλάγματα* vocat, & latius hoc vocabulo utitur quam Icti, quippe qui per illud ramen intelligunt contractus ab utroq; latere obligatorios l. 19. de V. S. l. 7. pr. d. pact. Verum l. 5. Eth. c. 2. & 5. non tantum illi intelliguntur contractus qui utro citroq; sunt obligatorij, sed omnes omnino obligationes quæ ex contractu vel quasi, & ex maleficio vel quasi descendunt, §. 2. J. de oblig. Unde etiam *συνναλλάγματα* alia vocat Aristoteles voluntaria, alia invita, per illa intelligit contractus in Jure specialiter ita dictos, per hæc intelligit delicta & quasi, quæ etiam contractus nomine indigitat, quod & à Jure nostro neutrum puto esse alienum l. 20. de Judic. l. 52. ff. de re Judic. l. 8. de publican. l. 15. 31. ff. de don. l. 2. ff. de cond. ob turp. caus.

Hæc

## XIV.

Hæ ratione rectè dixi quod hæ partes differant Proportione, quia enim in justitiâ distributivâ spectatur personarum & meritum, æqualitas, ideo etiam secundum proportionem Personarum pro dignitate & merito cujusque personæ onera & præmia distribuuntur. Quia autem in hac commutativâ parte tantum spectatur rerum permutandarum æqualitas, ita ut neuter contrahentium lucrum aut damnum habeat *l. 5. Eth. c. 4.* Id est ut uterq; tantum boni quantum ab alterutro perfectum est recipiat, ut hac ratione nullus de damno aut lucro conqueri possit, quare etiam necessario proportio rerum hac observatur, quippe in quâ justa observatur æqualitatis ratio, ita ut in voluntarijs contractibus neuter damnum aut lucrum habeat, in invitis vero ut lucrum aut damnum quod alterutri aderat tollatur. *Willi. Eth. c. 49. §. 11. & 12.* Hinc jam intricatissima, dudum ac inter Ictos & Philosophos pro manat agitata quæstio; An pæna ex contractu invito descendens secundum proportionem rerum; An vero Personarum sit infligenda. Quamvis inter maximos Ictos & Philosophos multi sint qui Arist. contra expressa verba sinistram mentem affingant, dum ejus ductu posteriori sententiæ subscribunt, ut *Wesemb. in parat. b. t. num. 11. Rittersh. prin. J. h. t. Harprecht. ibid. n. 25. & seqq. Golius, Donaldson. Magir. &c.* Attamen clara Aristot. verba quæ habentur *l. 5. Eth. c. 4. pr.* posterius affirmare me jubent, & ideo maximè quia firmæ admodum rationes me eo ducunt, quod multi alij ante hac veritate consonum viderunt, *Thom. 2. secunda quæst. 61. Art. 3. Arnif. lib. 1. Polit. c. 18. Soro l. 3. de J. & J. Quæst. 5. Art. 1. Horn. d. lib. 3. c. 3.* Primo enim nihil distribuitur nisi quod toti civitati commune est (nam pæna quod ego sciam non distribuuntur sed potius irrogantur) & inter ejus membra quatenus communionis partes sunt dividitur, & ita necessario aliqua pars & onerum & præmiorum unicuiq; cedit, unde impossibile esse constat, ut pæna proportione Personarum irrogentur, quippe cum non sint communes societati alicujus. Secundo iusta etiam est distributio, quamvis sæpè unus quisq; tantum non consequatur quantum ejus virtus aut meritum meretur, quippe quod etiam semper fieri impossibile est; injusta ergo foret talis pænae irrogatio quippe quæ semper debet comparari cum delicto, ut res rei, non v. cum personâ, & quo illud deterius ita hæc acrior atq; acerbior esse debet: Inde si interdum personæ aut cir-

cum

cumstantia rei mitiget aut aggravet pœnam, quis non videt id omne fieri per accidens, quod eleganter satis ostendit *Frantz. in comment de J. & J. n. 33. & seqq. 3.* quia expressum habemus Dei mandatum ut in Judicijs non sit respectus personarum, Ergo etiam pœnas delicto convenientes justas putamus 2. *Paral 19. Job. 6.* Communem a. Philosophorũ distinctionem, in Proportionem Arithmeticam & Geometricam in Jure nostro nullam puto.

XV.

Explicatã ita naturã Justitiã, jam superest ut etiam de effectu ejus nempe de JURE agamus, JUS etenim à Justitia tanquam effectus à sua causa descendit, ne autem propter vocis varias significaciones, & ambiguitates in errorem deducar, improprias Juris significaciones quæ ad propositum meum non quadrant removebo. Ita jus 1. dicitur Oeconomicum quatenus patri, id tribuitur in sua familia *l. i. ff. & J. de his qui sunt sui vel al. Jur. 2.* sumitur pro necessitudine sanguinis, *l. fin. ff. h. t. §. fin. J. qui test. tutor. dari poss. l. 8. d. R. J. 3.* pro potestate Jure concessa ad rem aliquam obtinendam, & ita sumitur in definitione actinis, ususfruct. & servitutis *§. 1. J. d. act. pr. J. de oblig. l. 1. de usu fr. l. 1. ff. de serv. R. P. 4.* pro loco in quo jus dicitur *l. pen. h. t.* Sed hæ significaciones meum propositum nihil promovent. 5. sumitur pro ipsa Jurisprudentiã *l. 1. h. t.* quã maximè in Repb. opus fuit, cum propter contingentem actionum humanarum varietatem, leges scriptas ad diversos emergentes casus applicat ac dirigit, ne præpter mentem legislatoris iniquitas quædam inde resultet, & hac consideratione appositè definitur à **Celfo**: quod sit **Ars æqui ac boni**, ubi tamen vox artis non sumitur pro habitu cum rectã ratione effectivo, ut *Arist. l. 6. Eth. c. 4.* Sed pro artificiosa mentis nostræ operatione, quã per idonea media ad propositum finem pervenitur, *Ungep. Exerc. Inst. 1. Quæst. 8.* & hac consideratione nullum est dubium quin jus in artem redigi possit *Ungep. de l. Hunn. in Treut. Vol. 1. D. 1. §. 1. L. A. cum & suo tempore Cic. illud ipsum facere voluisse norum est ex Gellio noct. Att. l. 1. c. 22.* cum hoc modo dixi quod Jus pro prudentia sumitur, videtur exinde concludi posse cum *Wesemb. in π. h. t. n. 14. Harp. ad §. 1. Inst. h. t. n. 1. Treut. Vol. 1. D. 1. th. 2. Ludvv. Exerc. 1. J. th. 3.* Jus ac Jurisprudentiã esse synonyma, quod tamen ex ratione formalis essentiæ & naturã definitionum vix asseri posse putem, cum aliud sit ars quæ subjecto suo abstrahitur, aliud vero scientia ac cognitio quæ nullo modo abstrahi potest à suo subjecto, Materialiter tamè conveniunt *Ungep. d. Exerc. Quæst. 12. Cui. in Not. ad Inst. h. t. Duar. h. t. c. 2.*

Bach.

*Bach. ad Treut. d. l.* Tandem dicitur in definitione æqui & Boni, per quæ verba legitimum denotatur Icti officium, per æquum enim intelligo attemperationem & directionem Juris positivi & legitimi, per bonum ipsam utilitatem, nam bonum nihil esse potest nisi etiam sit utile, unde hæc duo non rectè cum *Glossa* disjunguntur *l. 4 §. 1. de fidejuss. tur. Guid. Pancivoll. l. 1. variar. lection. C. 1. Suthol. Exerc. Inst. 1. th 35.* neque etiam confundi debent, cujus exemplum habemus in materia usucapionis, in quâ bonum est ne dominia sint incerta *l. 1. ff. de usuc. æquum*, ut is puniatur qui non curat res suas arg. *l. 24. quæ in fraud. creditor.*

XVI,

Communissima hujus Juris præcepta, ex quibus tanquam fonte & principijs jus omne promanavit, & in quæ reducitur sunt tria: Honeste vivere, alteri non lædere, suum cuique tribuere *§. 3. Inst. h. t. l. 10. ff. eod.* Hic operose admodum DD. quærun: Anne sint plures aut pauciores Regule, & quomodo à se invicem distinguantur: Ad prius quod attinet utique dicendum puto, plura esse generalia Juris præcepta & regulas universales, quarum quædam recenset *Rittersh. Inst. d. §. 3. & Thom. secund. secundæ Quest. 94. art. 2.* quas tamen omnes huc referri posse putem *Ludvv. Exerc. Inst. 1. th. 5.* Ad posterius quod attinet, tot fere sententiæ, quot capita Ictorum reperiuntur, uti *Bernh. Suth. dissertatione 1. Thes. 68.* cum *Thomâ, Bachovio* & alijs, triplici appetitui illa convenire putat, ita ut 1. concupiscibili, 2. irascibili, 3. rationali conveniat, *Donell. 2. comm. 1.* Re dicit, unum esse tantum præceptum quod reliqua duo complectatur, *Ritterh. & Harp. ad §. 3. J. h. t.* & opinantur prius esse Philosophicum, posteriora Juridica, neque ego arbitror has opiniones esse vanas, at tamen præ omnibus illud placet quod notavit *Accurs. ad l. 10. ff. & §. 3. Inst. h. t.* quem sequitur *Cujac. in h. t. Hunn. lib. 1. variar. resolut. 11. 1. Quest. 16. Treut. vel 1. D. 1. th. 3. L. A. Ludvv. d. l.* ita ut prius unumquemque in societate civili viventem respiciat in se, posteriora Duo vero proximum, & tunc vel in omittendo ne alter lædatur, vel in committendo ut unicuique suum tribuatur. Primum præceptum vult honeste vivere, quod absolute loquendo est secundum omnes virtutes vivere, quia autem præcipue, cum non detur vivere cum perfectis hominibus, Ratio Status attendenda est, ideo non tam sæpe honestas quam utilitas spectanda venit, *Clapmar. de arc. rerum p. l. 4. c. 3. Suthol. d. d. th. 64. & 65.* Ita enim permittitur concubinatus *l. 1. ff. & C. de Concub.*

C

non

non quasi jus civile per totum illum approbaret, *Argum. §. 1. 3. de pat. pot. pr. 3. de nupt.* Sed propter majus malum evitandum *l. 3. C. de i. i. ff. C. de conub. ita & permittitur usura & circumscriptio levis, l. 16. ff. de min. l. 22. ff. locat. t. i. ff. C. de usur.*

XVII.

6. Sumitur vox Juris proprie pro præcepto nempe superioris, & definitur: quod sit, Constitutio naturæ vel civitatis jubens permittensve quæ recta sunt, prohibensve contraria cum necessitate parendi *l. 9. h. t. Jun. l. 7. ff. C. l. 9. C. de LL. Amplifs. Dominus Schnobel. Diss. ff. i. th. 2.* Brevius definitur à Grotio *l. 1. c. 1. n. 9.* Regula actuum moralium obligans ad id quod rectum est Et hac consideratione jus à jubendo dicitur, quasi iustum, ut de Jura apud Festum iusta dicuntur, quia antiquis Lit. R. non fuit in usu, & in hac consideratione jus utiq; prius est quam justitia, quia habitus præsupponit notitiam & ideo prior est quam habitus. Quando autem jus sumitur pro arte & disciplina Juris quod ICorum libris comprehenditur, tunc naturæ ordo postulat ut omnis scientia ac ars posterior sit ea re quæ docetur, & hoc non Grammaticè nempe nominaliter, sed Logicè & realiter, more nempe stoicorum, ut concreta derivantur ab abstractis, puto fieri. Materia hujus Juris sunt recta quæ præcipit, & contraria quæ prohibet. Finis est parendi necessitas, quam ijs imponit quibus posita est. Hujus Juris Duas pono cum Imperatore positiones seu partes, Publicum & Privatum: Trimembrem etenim divisionem quam Imperator *l. 23. C. de SS. Eccles. & Quintil. Inst. Orat. l. 2. c. 4. p. m. 92.* proponit, ad Bimembrem revocandam puto cum *Rittersh. ad §. fin. Inst. h. t. Cujac. l. 15. c. 33.* Illud est quod ad statum Reipubl. Romanæ directo & immediate pertinet, & hoc jus est quod in sacris, sacerdotibus, Magistratibus, & ijs quæ ad bonum publicum conservandam spectant, consistit: Et hoc quoad nostro statui reipub. applicatur, maximam sui partem hauriendum est ex Capitul. Cæsar. R. J. & A. B. Caroli IV. & æquè ac jus privatum in Academijs, a IC. tractandū est, ne nepe studiosi cives in propria patria peregrini esse cogantur, quod turpe est, arg. *l. 2. §. 43. ff. d. O. J.* aut Studiosi Juris sine quem Imperator in *§. fin. in proem. Inst.* præscribit, frustrentur. *Lindem. in Hist. Jur. Rom. in fin. D. Beccer. in Syn. Jur. pub. in proem. Wurmbs. Exerc. Acad. Jur. Pub. 1. quæst. 2.* illam tamè in proficendo puto adhibendam esse cautionem, quam præscribit proverbialiter *l. 6. §. 3. de off. procons.* Jus Privatum est quod principaliter

principaliter ad singulorum utilitatem pertinet, alias per consequentiam, etiam civium interest, statum Reipub. optimè esse constitutum l. 3. C. ex quibus causis major l. 8. d. ratel. §. 2. J. de his qui sui vel alieni Jur. & vice versa subditos esse locupletes reipub. interest, Nov. 8. in pref. §. 1. l. 2. ff. Sol. mar. l. 2. d. J. D. Harp. ad §. 4. J. h. t. n. 7. imo etiam generaliter consideratum omne jus est publicum tam ratione causæ efficientis, quia Publica auctoritate est constitutum l. 1. ff. LL. quam ratione causæ finalis, quia ad totius reipub. Salutem debet referri. Aristot. l. 3. polit. c. 8.

### XVIII.

Jus privatum triplex est, Naturale, Gentium & Civile §. 4. Inst. l. 1. ff. h. t. quanquam trimembrem hanc divisionem Arist. l. 5. Eth. C. 7. bimbrem facit, quod legitimè adhibita cautione tolerari posse audacter statuo, ita ut jus Naturale & Gentium sint Synonyma; Jus naturæ (scu primum uti vocatur ab Aristotele l. 5. Eth. c. 9.) definitur ab Imperatore. Quod natura omnia animalia docuit. Quam definitionem bonam esse strenuè defendit Ungew. Exerc. Inst. 2. Quæst. 1. Ludvvel. d. Exerc. 1. th. 8. Illud quidem negari nequit inesse brutis simulacra quædam Juris, dum nempe illa faciunt ex instinctu naturali, quæ homines partim faciunt rectè ratione duce, inde tamen non potest deduci, si id quod res est loqui velimus, quod formaliter consideratū jus naturæ vere ipsis competat: Sed illud quod materialiter in illis deprehenditur, si idem in homine, jus dicitur naturæ; Et ideo non nisi improprie ac populariter jus brutis tribuitur animantibus, quia 1. ipsis facultas animæ rationalis ex qua principia boni & æqui ex quibus jus consistit, fluunt, denegata est, Horn. l. 4. Eth. c. 3. Ampl. Dn. D. Schnob. D. 1. th. 6. 2. quia non potest obligari brutum ex Jure naturæ, non enim potest animal injuriam fecisse quod sensu (id est rationis usu, ut id explicat Hugo Grot. l. 1. c. 2. n. 3.) pareret, §. 3. si quad. paup. sec. dic. 3. quia voluntas quæ est principalis a rationis affectio, & ita actionum virtuosarum principium ipsis tribuitur, nam tantum agunt cum impetu, non cum electione, ideo prudentiam denegat Senec. l. 1. de Ira c. 2. neq; illud quod Wesemb. in x. h. t. n. 14. affert quicquam juvat hanc definitionem, is etenim hominem cujus causa jus constitutum est tripliciter considerat 1. quatenus est animal. 2. quatenus est homo. 3. quatenus est homo civilis, & huic considerationi, triplex applicat jus, Naturale, Gentium & Civile, sed quod ipse ingenuè fatetur in fine ejusdem num. 14. fine

ratione nullum potest esse jus ; & hominem sine anima rationali vix cogitari posse putem , cum ea constituat partem ejus essentialem ,  
*6. Eth. cap. 2.* quâ ademtâ, homo desinit esse homo, nam non quatenus animal, sed quatenus homo est, jus ei tribuitur, Ergo analogice loquitur Imp:  
d. l. quod etiam probant Exempla quæ Imperator in *§. 1. J. d. t.* recenset, in quibus malè confunduntur cum Jure naturæ, quod sine peccato omitti nequit, inclinationes naturales quæ liberè sine necessitate obsequendi aut refragandi diriguntur, *D. Calix. in Epit. Theol. moral. p. 1. p. 40.* nam quod ad primum & secundum attinet ; Sunt illa inclinationes naturales, *Aristoteles l. 1. pol. c. 1.* nequæ adeo Juris naturæ, quippe cum sine peccato omitti possint, quod nefas est dicere, de illis quæ sunt Juris naturæ *Horn. d. l. n. 23. Magirus ad l. 5. Arist. Eth. c. 7.*

### XIX.

Absolutam ergo puto Juris naturæ definitionem apud *Hug. Grot. l. 1. c. 1. num. 10.* quod sit : Dictamen rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientiâ, inesse moralem turpitudinem aut necessitatem. dicitur **dictamen**, ideo quia Deus immediatè hominum mentibus inscripsit ea, quæ sunt immotæ in naturâ ordinationes, ut inclinationes nostræ cum rectâ ratione conveniant, & honesta à turpibus dividuntur ; **indicans actui necessitatem**, quo præter instinctus naturæ simplices, quæ huc omnes non pertinent, quales sunt edere, bibere &c. *Frantz. in comment. h. t. num. 112. Vult. pr. J. de J. N. G. & Civ. & Rittersb.* illa demum comprehendimus quæ justitiæ ideam & effigiem præferunt, vimque boni & æqui amplectuntur, reddente testimonium ipsa conscientia, ideo etiam *Cic. l. 1. de LL.* jus naturali describit : quod sit ratio summa, insita à naturâ quæ jubet ea quæ facienda sunt prohibetque contraria, quodque perpetuò eandem vim obtinet & apud omnes observatur *Aristoteles l. 3. Eth. c. 7.* & dari tale à natura probatur, tum à priori, si ostendatur rei alicujus convenientia necessaria cum anima rationali; tum à posteriori, unde *Aristoteles* suam præmit definitionem, d. l. quod apud omnes gentes moratiores, tale esse creditur, ab ijsque continuò observatur, & hoc jus ratione principiorum communium adeo immutabile est, ut ne quidem à Deo mutari possit, *Deut. 18. vers. 25. Ezech. 18. v. 25. Rom. 3. 5, 6.* & hoc non quidem ratione impotentia, sed summae bonitatis, quæ est immutabilis in Deo  
*Gros.*

*Grot. d. l. c. 2. n. 10.* Talia autem principia sunt: Deum esse colendum, Honeste vivendum, neminem lædendum, ac suum cuiquæ tribuendum; quæ tanquam semina naturæ humanæ, omnibus nota sunt. *Rom. 2. v. 14.* non tamen hoc dico quasi ratione materiæ circa quam jus naturæ versatur, vel propter certas circumstantias, vel propter quorundam gentium barbariem & pravum rationis usum non possit aliquando ab illo recedi, sed quod ipsum jus maneat immutabile.

XX.

Ita præceptum Juris naturæ commune est neminem esse lædendum quod in se consideratum est immutabile, mutatur tamen tum propter pravum rationis usum qui ipsum jus non tollit, cum accidens aliquod ipsam rei essentiam destruere nullo modo possit, & hac ratione reprobræ gentes propter corruptos mores ac sensus illud sæpè putant esse licitum quod revera cum ipsa honestate pugnat, Ex quo principio etiã dicimus apud Ætholos & Lacedæmonios furta ac prædationes fuisse licitas, ut refert *Plutarchus in Lycurgo*, cum tamen furta naturâ turpia esse doceat *l. 42. ff. de V. S.* Tum etiam propter certas circumstantias sæpè hoc jus mutatur, utpote si quis aggressorum vim, quam sine periculo vitæ effugere nequit, etiam cum cæde aggressoris repellat, quod licitum esse omni Jure intrepide defendimus, modo adhibeatur moderamen inculparæ tutelæ, de quo agitur *in §. 2. 3. ad leg. Aq. & l. 1. C. unde vi.* ubi DD. Ad quod moderamen non requirimus ut quis tribus gradibus cedat, aut primum Ictum expectet, cum hac ratione facultas defendendi tolli possit, *C. C. V. 140.* quare melius est in tempore occurrere quam post vulneratam causam remedium querere *l. ult. in fin. C. quib. cau. restit. l. 1. C. quan. lic. unicu. sin. Jud. Berlich. p. 4. con. 13. n. 7.* Et hanc defensionem cum sit Juris naturæ etiam contra Principem vim intentantem licitam esse putat *Vasq. Ill. Cont. l. 7. cap. 18. n. 10.* sed quoniam persona magistratus subditis sancta esse debet, ne inde oriatur dissociata multitudo, non erit hoc simpliciter statuendum *Hug. Grot. l. 1. c. 4.* Defensio autem prædicta adhibitis certis conditionibus etiam licita est adversus invasores bonorum *Exod. 22. cap. 10. Ex. de homic. C. C. V. Art. 150. l. 4. §. 1. l. 5. pri. ff. ad leg. Aq.* nam illa inæqualitas quæ est inter vitam & rem, ea favore innocentis & odio raptoris compensatur *Grot. l. 2. c. 1. n. 11. & ulterius hæc defensio ex-*

lio extenditur ad defensionem pudicitiae cujus damnus est irrepara-  
bile, *l. un. C. de rapt. Virg. cap. si Paulus 32 Q. 1. l. 1. §. 4. ad leg.*  
*Cornel. de sic. Berlich. d. l. concl. 12. num. 40. Paulus sentent. §. 1. 23.*

XXI.

Sequitur jus **Gentium** de quo agitur *l. 2. 3. 4. 5. ff. de J. & J.*  
quod melioris doctrinae causa dividitur in primævum & secundarium;  
Jus Gentium autem non ideo dicitur quod omnes homines actualiter  
in unum convenerint, & hoc jus constituerint, quod omnino fieri  
non potuit, tum propter orbis immensitatem, tum propter lin-  
guarum diversitatem, sed quod successive propter humanam natu-  
ram omnibus ita visum & tacite decretum existimetur *Conan. lib. 1.*  
*comment. c. 6.* Illud definitur in *l. 9. in fine ff. de J. & J. §. 1. Inst.*  
*de J. N. G. & C.* quod naturalis ratio inter omnes homines consti-  
tuit, & apud omnes peræque custoditur, cujus Juris exempla sunt in  
*l. 2. & 3. ff. de J. & J.* & idem illud jus est quod in *th 19.* Jus naturale vo-  
cavi & defini. **Hoc** quod ratiocinatio usu & necessitate exigente  
inter homines constituit, §. 2. *J. de J. N. G. & C.* quod a *Wesemb.*  
*π. de J. & J. n. 16.* dicitur jus ratiocinationis: Hujus Juris exem-  
pla sunt in *d. l. 4. 5. ff. d. J. & J.* ad hoc jus etiam refertur jus lega-  
torum *l. fin. ff. de legat. sanctio fæderum c. 9. dist. 1.* & recte Juri natu-  
ræ primævo opponitur *l. 1. §. 4. ff. de J. & J.* quia non ex simpli-  
ci ratione, sed potius ex rationis usu constitutum est, Nam obliga-  
tio Juris naturæ oritur intrinsicus ex principiis naturalibus, seu ex  
naturâ ipsius rei, obligatio autem Juris gentium potius est constitu-  
tiva, jns itaque naturale seu gentium secundarium, ex suppositione  
conditionis humanæ illatum & sortum est, Ita 1. non ex simplici ra-  
tione, sed necessitate rationis exigente, orta sunt bella & inde ca-  
ptivitates *J. §. 2. de J. N. G. & Ci.* cum enim homines spreto ratio-  
nis dictamine, aliorum sanguini & bonis inhiarent, necessitas defen-  
sionem suavit, & ita bella introduxit: Cum autem in humanum vide-  
batur captivos pecudum numero occidere, inde servitus utilitate  
suadente contra naturalem libertatem introducta est §. 2. *J. d. Jur.*  
*pers.* Et 2. cum necessitate exigente ad conservandam societatem,  
dominia essent distincta, gentes discretæ, familiæ collocatæ, & urbes  
exstructæ, eveniret ut non eadem produceret omnis tellus, & quod  
hic

hic deficeret, l. 1. d. *contrab. empt.* illic superesset, inde usu exigente omnes penè contractus sunt introducti l. 5. ff. d. *J. & J. S. 2. J. de J. N. G. & C.* ut emtio, locatio, societas, mutuum, depositum &c. quod autem dixi penè, inde ab Imperatore additum est, quia quidam contractus ex Jure C. vili descenderunt, l. 5. ff. *de J. & J.* de quo Jure in sequenti discursu erit agendum.

DEO SIT LAUS.

---

Ad  
*Eximium Doctissimumque*  
**SAMUELEM BIRTHIUM,**  
Convictorem meum suavissimum  
DE PRÆCOGNITIS JURIS,  
disputantem.

I.  
**L**imina vis Themidos tibi sint præcognita Diva?  
Pòst in delubri progrediére Cavum.  
Omnibus exactè lustratus, spondeo BIRTHI,  
Ornatus variis egrediére Bonis.

II.  
Sic juvat Aonio sudare in pulvere, BIRTHI,  
Sic implere Patris votâque spemque juvat!  
Quod bene cepisti, faustis successibus urge.  
Quod prior ut virtus, crede, sequetur Honor.  
De tanto jam plaude, PATER doctissime Nato:  
De tanto grator, PRUSSIA, Cive tibi.

Andreas Tscherningius, P. P.

---

*Ad Eximium & Politissimum*  
Dn. RESPONDENTEM.

**P**rincipium qui ritè capit, divortia nunquam  
Fecerit, aut facti semissem penè peregit:  
Sedulus hoc optas, dum Juris noscere causas,  
Et Themidis sacros satagis lustrare labores;

Di

Difficiles faveant! eventus vota sequetur,  
Principium Juris sperato sine videbis,  
Maeste animo tali, nil invida tela nocebunt  
Continges meritos decora laudis honores.

*Heinrich Rudolph Redeker.*

---

**T**E quoq; virtutis præruptos scandere colles,  
Et studium doctus ritè probare juvat,  
Perge ita, mi BIR THI: Virtutis splendida merces  
Te manet; hanc tandem dat benè culta Themis.

*Johan Albrecht Pffelzer/Osnab. Westph.*

---

**J**Oneum, BIR THI, ingenij vigorem,  
Clarius prodis, Themidos sacrata  
Jura, dum celsâ in cathedrâ tueris  
Gutturè docto.

Hinc tibi plausus datur, ut paterni  
Fluminis ripæ, pariter sonora  
Regij laudes referat subindè

*Montis imago.*

Maeste tu virtute novâ, & labore,  
Perge præruptum superare montem;  
Qui facer sanctæ Themidi: Hæc viâ unâ  
Ibis ad astra..

*Melchior Bering, Reg. Bor.*

---

**Q**uod Poëtarum docuere scripta,  
Scilicet Divæ sobolem Themistæ  
In jugo montis positi tenere

*Culina templi.*

Illâ, dum sese penitus sacro  
Tradidit juris studio, quod hisce  
Comprobat discursus, amat tenere

*BIRTHIUS olim.*

*Andreas Bering, Reg. Bor.*

⦿(oo)⦿






*Grot. d. l. c. 2. n. 10.* Talia autem principia sunt: D  
Honeste vivendum, neminem lædendum, ac f  
dum; quæ tanquam semina naturæ humanæ,  
*Rom. 2. v. 14.* non tamen hoc dico quasi ratione ma  
naturæ versatur, vel propter certas circumstantia  
fundam gentium barbariem & pravum rationi  
quando ab illo recedi, sed quod ipsum jus maneat

XX.

Ita præceptum Juris naturæ commune est nec  
quod in se consideratum est immutabile, mu  
pter pravum rationis usum qui ipsum jus non tol  
liquod ipsam rei essentiam destruere nullo modo  
ne reprobae gentes propter corruptos mores ac  
tant esse licitum quod revera cum ipsa honestate p  
pio etiã dicimus apud Ætholos & Lacedæmonio.  
fuisse licitas, ut refert *Plutarchus in Lycurgo*, cum  
turpia esse doceat *l. 42. ff. de V. S.* Tum etiam p  
stantias sæpè hoc jus mutatur, utpote si quis aggr  
sine periculo vitæ effugere nequit, etiam cum cæd  
quod licitum esse omni Jure intrepide defendimus  
moderamen inculpatæ tutelæ, de quo agitur  
*l. 1. C. unde vi.* ubi DD. Ad quod moderamen non  
tribus gradibus cedat, aut primum Ictum expecte  
facultas defendendi tolli possit, *C. C. V. 140.* qua  
pore occurrere quam post vulneratam causam  
*l. ult. in fin. C. quib. cau. restit. l. 1. C. quan. lic. unid.*  
*4. con. 13. n. 7.* Et hanc defensionem cum sit Juris  
Principem vim intentantem licitam esse puta  
*cap. 18. n. 10.* sed quoniam persona magistratus sub  
bet, ne inde oriatur dissociata multitudo, non er  
tuendum *Hug. Grot. l. 1. c. 4.* Defensio autem præ  
conditionibus etiam licita est adversus invasore  
*cap. 10. Ex. de homic. C. C. V. Art. 150. l. 4. §. 1. l.*  
nam illa inæqualitas quæ est inter vitam & rem, ea  
odio raptoris compensatur *Grot. l. 2. c. 1. n. 11. c.*

C 3



dum  
ribuen  
a sunt  
am jus  
e quo  
fficiali

endum  
n pro  
dens a  
ratio  
pè pu  
princi  
tiones  
naturâ  
circum  
quam  
pellat,  
beatur  
Aq. &  
at quis  
tione  
n tem  
erere  
lich. p.  
contra  
mt. l. 1.  
esse de  
ter sta  
s certis  
cod. 22.  
eg. Aq.  
antis &  
defensio ex